

homines in hac vita adsunt Deo, sunt cum Deo, spiritu nempe conjuncti cum illo: nihil erat, cur Apostolus dissolutionem Corporis optaret, ut esset cum Domino; cum ipso quippe hac ratione erat etiam in Mundo vivens. Ergo necesse est intelligamus, Apostolo ante oculos fuisse, procul dubio sibi obyenturum alium Animæ statum, ubi ista e Corpore avo- lassit, idest, se potiturum non spiritali dumtaxat, sed reali præ- sentia Domini, quacum Visio Dei & Beatitudo conjuncta incidit.

Subdit Burnetus: *Piorum Animæ post mortem dici possunt esse cum Christo, quatenus erant in custodia Christi. Christus jam jam moriturus Animam suam in Manus Patris deposuit, idest in custodiam & tutelam Patris. Stephanus quoque moribundus in manus Christi Animam suam tradi- dit; Domine Jesu suscipe spiritum meum, expirans dixit. Eodem modo Anima Sancti Pauli esset cum Christo in ipsius tutela, & apud eum de- posita usque ad Resurrectionem. Nescio, an quid Ariannum infuseret nobis Burnetus, exemplum Christi adferens, deponentis Spiritum suum in Manus Patris. Numquid tutela & custodia indigebat Anima Christi, a qua nunquam Divinitas sejuncta fuit? Stephanus autem (ut S. August. verbis utar in sermone 319.) pro cujus Evangelio animam posuit, illi commendavit ipsam animam. Domine, inquit, accipe spiritum meum. Fecisti me victorem, recipe in triumphum. Accipe spiritum meum. Illi persequuntur: tu suscipe: illi ejiciunt: tu intromitte. Dic spiritui meo intra: in gaudium Domini tui. Hoc est enim, Accipe spiritum meum. Ce- terum superflua hæc esse, & Burnetum vagari, ut nos a scopo aver- tat, continuo Lector intelligat, ubi recogitet, nihil aliud signifi- cari phrasi illa esse cum Christo, sive recipi ad Dominum, uti Tertullia- nus legit, quam id, quod nuper vidimus in 2. ad Cor. v. 8. ab eo- dem Apostolo repetitum, quum ait, Sanctos percipere peregrinari a Corpore, hoc est, mori, ac desinere in Carne morari, ut presentes fiant ad Dominum: quæ non nisi de reali præsentia in conspectu Dei vivi, & de cœlesti Gloria explicanda sunt. Quod licet denique de hujusmodi formula dicendi dirimit idem Paulus Thess. iv. 16. post- quam Resurrectionem, & postremum Christi in fine Mundi judicium descripsit, & Justos rapiendos in nubibus obviam Christo in æra nos do- cuit, addit: *Et sic semper cum Domino erimus.* Hæc diligenter animad- vertenda; nemo enim ex his non intelligit, esse cum Domino idem si- gnificare, atque Gloria ac Beatitate æterna frui, quam ne Burnetus quidem Justis post Resurrectionem & Judicium supremum negare au- sus est. Hanc ergo Felicitatem adepturus, quod est ad Animam, Apo- stolus fuit, statim ac eadem Anima dissoluta a Corpore fuisset, quia confectum cum Christo, cum Domino, futura erat. Inquit deinde Bur- netus, Apostolum 2. ad Cor. v. 4. dixisse *Nolumus expoliari*, idest non cupimus mori: heic vero cupere *dissolvi*, quod idem est ac mori, at- que adeo temperanda hæc esse, ut non repugnent. Sed o egregium hominem, qui levibus hisce difficultatibus distineri se patitur. No- rant omnes, in quolibet homine varios esse Voluntatis actus, immo*